

que consistit in aliquo actu, seu acceptione intellectus, veritas quidem secundum adæquationem, falsitas vero per inadæquationem.

QUÆSTIO XVIII.

DE VITA DEI.

SUMMA LITTERÆ TEXTUS.

Qua ratione D. Thomas in hoc loco tractet de vita Dei post considerationem de scientia, ideis, et veritate, diximus tomo præcedenti in isagoge D. Thomæ. Duo ergo facit in hac quæstione; primo, præmittit duo quæ sunt communia omnibus viventibus; secundo, specialiter agit de vita Dei. Præmittit imprimis in quo differant viventia a non viventibus, articulo primo. Deinde, in quo consistat vita, an in actione, vel in substantia, articulo secundo. Ex primo infert articulo tertio, in Deo dari summam vitam: et ex secundo infert articulo quarto omnia in Deo esse vitam ratione operationis Dei.

Igitur articulo primo determinat quod viventia differunt a non viventibus per hoc quod viventia se movent ad operationes, non viventia autem tantum moventur ab alio; et sic vita non convenit omnibus.

In articulo secundo determinat quod vita non est prædicamentum accidentale, sed substantiale in viventibus, licet manifestetur nobis per operationes vitales, quæ accidentia sunt, ipsa vero substantia est vivens, quam proprie significat nomen vitæ.

In articulo secundo determinat quod vita non est prædicamentum accidentale, sed substantiale in viventibus, licet manifestetur nobis per operationes vitales, quæ accidentia sunt, ipsa vero substantia est vivens, quam proprie significat nomen vitæ.

In articulo tertio determinat quod Deus habet summum gradum vitæ, quia est suum intelligere, ita quod a nullo alio determinatur, vel movetur: in tantum enim aliquid deficit a ratione vitæ, vel minus perfecte habet illam, in quantum indiget moveri, vel determinari ab alio, ut se moveat: determinatur autem, vel movetur aliquid ab alio, vel tamquam ab agente vel tamquam a dirigente per cognitionem, vel tamquam a fine alliciente, et ex fine movente ad media, sicut intellectuales creaturæ se movent, quæ tamen circa ipsa prima principia, et excitationem ad finem indigent determinari ab auctore naturæ; et sic nullo vivens creatum habet ita puram rationem vitæ, quod omnino moveatur a se, et non indigeat ab alio moveri: si ergo Deus a nullo movetur aliquo modo in operando, sed ita est a se, quod est ipsamet operatio, habet summum gradum vitæ.

In articulo quarto ostendit omnia quæ a Deo fiunt, et procedunt, habere vitam in Deo, quia habent esse intellecta, et formata in ipso intelligere Dei, seu in ipsa idea, quæ est forma exemplaris viva, quatenus per conceptum format, et cognoscit id quod imitandum est a creatura. Omnia ergo vivunt in Deo, id est, in idea divina.

DISPUTATIO II.

DE VERITATE TRANSCENDENTALI, ET
FORMALI.

ARTICULUS I.

In quo consistat veritas transcendentalis?

I. Communis omnium conceptio est nomine veritatis duo significari quæ maximæ ad veritatem ipsam pertinent. Alterum est ipsum esse non fictum, sed ratum, sicque nomine veri excludimus id quod est inane et fictum, et tunc maxime dicitur aliquid verum quando est fundamentum et firmum in re. Alterum est conformitas, seu adæquatio intelligentis cum ipsa re, per quod excluditur falsitas, quæ est inadæquatio ad id quod est in re: omnes enim recte definiens verum ponunt in ejus definitione intellectum, ut recte observat D. Thomas XXI de verit. art. 1. Et omnes definitiones veritatis, quas D. Thomas in præsentis articulo primo et q. 1 de verit. art. 1, affert ex Hilario, Augustino, Anselmo, et Avicenna, tangunt primam, aut secundam habitudinem veritatis jam dictam, vel utramque. Ex hoc ergo notata est duplex acceptio veritatis, alia in essendo, alia in cognoscendo, seu alia transcendentalis, alia formalis. Transcendentalis, seu entitativa pertinet ad ipsam essentiam rei, et est fundamentalis veritas, seu ipsum fundamentum veritatis: formalis autem veritas est ipsa forma adæquationis, et conformitatis in cognitione cum esse rei, quia ab eo quod res est, vel non est, intellectus verus, vel falsus est.

II. Cur autem hæc veritas in co-

gnoscendo dicatur veritas formalis, veritas autem transcendentalis, et entitativa non dicatur formalis, inde desumi potest, quia ipsa formalitas veri et boni, quam addunt supra ens, sumitur per ordinem ad potentias quas movent, scilicet intellectum, et voluntatem, sed cum hac differentia, quod veritas movet intellectum per hoc quod res trahuntur ad ipsum; voluntas autem movetur per hoc quod inclinatur ad res, in quarum assecutione perficitur tamquam pondus, et inclinatio in suum centrum. Quare formalitas veritatis debet desumi per ordinem ad intellectum, eo modo quo objectum intelligibile movet, et sic cum in potentia formalis perfectio quam habet ab objecto fiat intra ipsam, consequenter formalis veritas intra intellectum invenietur in ipsa cognitione, in re autem extra fundamentaliter solum, et objective, quia in intellectu est veritas ut manifestata, et sub forma manifestationis non est in rebus, sicut scientia formaliter invenitur in intellectu, in objecto autem non invenitur formaliter, sed objective, quia scientia formalis est, quæ reddit formaliter scientiam, et sic solum est in intellectu; sic veritas formalis est illa, quæ reddit formaliter cognitionem adæquatam rebus, et vere attingentia non potest esse formaliter nisi intra intellectum, non extra. Et ita D. Thomas quæst. 1 de verit. art. 11, ostendit veritatem formaliter esse in intellectu, quia in eo consummatur motus objecti cognoscibilis ad cognoscendum, et attingendum veritatem: at vero bonum formaliter est in rebus, et non in appetitu, quia non perficitur motus appetitus in ipsa voluntate, sed in reali assecutione objecti, et ideo formalis perfectio boni in ipso objecto appetibili est, non ut intra vo-

luntatem tracto, sed ut extra assecuto.

III. His suppositis difficultas in præsentia est in quo consistat, et quid sit veritas transcendentalis, quæ est passio entis. Et non est dubium quod identifice loquendo, ista veritas includit ipsum ens, et non distinguitur ab illo; tum quia hæc est natura transcendentium, quod unum imbibatur, et includatur in alio, alias non esset transcendens; tum quia si veritas non esset ens, esset nihil, et sic non vera et realis passio illius, sed aliquid fictum, et ens rationis; cum tamen ens per solam rationem veri separatur a ficto. Sed difficultas est de veritate secundum formalem conceptum, quem addit supra ens; constat enim non significari idem nomine veri, et nomine entis, nec esse conceptus synonymos; et sic restat videre quid sit ista formalitas, et iste diversus conceptus, quem dicit verum supra ens.

VARIÆ SENTENTIÆ.

IV. In hoc puncto multiplex, et varia est sententia auctorum, quas ad tres principales reducimus.

Prima affirmat veritatem addere supra ens aliquid reale absolutum, licet sola ratione distinctum ab ente. Hanc sententiam attribuit p. Suarez aliquibus Thomistis disp. viii metaph. sect. vii, forte quia aliqui, ut Capreolus, et Soncinas dicunt veritatem non solum importare respectum, sed etiam includere ipsam entitatem, quæ absoluta esse potest. Sed hoc est loqui non solum de eo quod addit veritas supra ens; sed de toto quod includit. Aliqui etiam volunt veritatem addere quidem supra aliquid reale non tamen absolutum, sed respectivum per mo-

dum adæquationis, et conformitatis cum regula.

V. Fundamentum utriusque quantum ad hoc quod est addere aliquid reale supra ens, ex eo sumitur, quia veritas in suo conceptu formali distinguitur ab ente, et est realis, et vera perfectio, si quidem in suo formali conceptu opponitur falsitati, et fictioni, et sic per conceptum formalem veritatis ens habet esse verum, et non fictum, distinguiturque ab ente rationis: ergo repugnat quod veritas de formali importet ens rationis: sic enim non potest formaliter per ipsum distingui ens reale, et verum ab ente non vero, et ficto. Est etiam perfectio realis, quia carere falsitate magna perfectio est, et in Deo veritas est summa perfectio, per quam distinguitur a falsis diis: hoc enim non est aliquid rationis in Deo. Quod vero sit perfectio absoluta ex eo patet, quia ante omnem relationem, sive ad intellectum, sive ad aliquid aliud, aurum est verum aurum, et non aurichalcum, quia habet essentiam auri, non per ordinem ad alterum, sed in se: ergo veritas ista ante omnem relationem subsistit. Imoposito fundamento hujus relationis, antequam relatio consurgat, vel illud fundamentum est aliquid fictum, vel aliquid verum: si verum, habetur veritas ante relationem; si fictum, non potest fundare veritatem, quæ opponitur ipsi fictioni: ergo veritas transcendentalis est aliquid absolutum.

VI. Secunda sententia principalis est, quod veritas addit supra ens aliquid rationis ea generali ratione, quia supra rationem entis, ut sic nihil potest addi quod sit ens reale, quia si hoc ipsum includeretur in ente, non ultra illud adderetur. Cæterum in explicando quidnam sit hoc rationis, quod veritas addit supra ens, variant auctores.

Quidam dicunt addere aliquid negativum, sicut unitas; quam sententiam refert Suarez ubi supra numero xvii, licet nulli auctori illam tribuat, etenim ad rationem veri sufficit quod aliquid habeat sua principia essentialia cum exclusione falsitatis seu fictionis: nam hoc ipso aliquid est verum aurum, quod non est fictum, et cum principia essentialia pertineant ad conceptum ipsum entitatis, restat quod negatio falsitatis, seu fictionis sit id quod veritas addit supra ens. Alii autem dicunt addere supra ens relationem rationis, quæ videtur esse sententia D. Thomæ quæst. i de verit. art. i et in i, dist. xix, q. v, art. i ad iii. Et solet explicari quod ista relatio sit ordo ad intellectum: sed tamen intellectum quem respicit veritas potest esse, vel intellectus a quo formatur in suo esse sicut res artefactæ formantur ab intellectu artificis, et res naturales a Deo, vel potest esse intellectus in quo res causant veritatem, sicut intellectus creatus, quia accipit veritatem a rebus. Possunt ergo res dici veræ transcendentaliter, vel quia sunt conformes intellectui a quo causantur, vel quia sunt causativæ veritatis in intellectu qui sibi conformatur, ita quod veritas sit vel regulatio passiva respectu intellectus a quo formatur, et regulatur, vel sit regulans active respectu intellectus in quo causat veritatem. Et quidem ordo ad intellectum in quo causatur veritas, qui est intellectus cognoscens res, et non formans manifestum est quod est aliquid rationis, quia objectum non recipit potentiam relatione reali, sed e converso, quia potentia dependet ab objecto, non e contra. Relatio autem veritatis ad intellectum a quo formatur, videtur realis esse, quia est dependentia realis ipsius rei formatæ ad suam causam et ideam, sed tamen adhuc dicitur esse relatio ra-

tionis, quia potest manere veritas sine existentia rei, sicut est verum quod duo, et tria sunt quinque, etiam nulla re existente. Et sic sufficit relatio rationis. Et omnes istas habitudines existimat p. Suarez ubi supra numero xxvi, contineri in veritate, et ab eis posse rem denominari veram; simpliciter tamen fatetur non consistere veritatem in extrinseca denominatione, quamvis connotet aliquo modo conjunctionem alterius rei, unde veritas resultat, ut docet numero xxxiv. Ad hanc sententiam reduci possunt illi qui existimant veritatem transcendentem esse conformitatem rei cum sua definitione, sicut illud dicitur verum aurum cui convenit definitio auri. Constat autem quod inter rem, et suam definitionem non intercedit, nisi relatio rationis.

VII. Tertia sententia principalis est, quod veritas transcendentalis in ipsis rebus solum est denominatio extrinseca qua res dicuntur veræ a veritate divina, ut effectus ejus, vel respectu intellectus creari, quia sunt causa veritatis in illo, sicut medicina, vel urina dicitur sana denominatione extrinseca a sanitate animalis, illa ut causa, hæc ut effectus sanitatis. Hanc sententiam Suarez attribuit Cajetano in præsentia articulo vi, in fine. Sed Cajetanus loquitur de veritate formali, quæ est veritas in cognoscendo, quam constat solum esse intrinsece, et formaliter in intellectu, in rebus autem solum denominative: de veritate autem transcendentali nihil loquitur. At vero hanc sententiam simpliciter tenet Vasquez hic disp. lxxvii, cap. iv, et citat pro ea Durandum, Henricum, et alios: sentit enim veritatem non inveniri primario in rebus, sed secundario per denominationem a veritate, quæ est in intellectu, cujus causa sunt res, sicut medicina dicitur sana a sanitate

animalis quam causat. Unde etiam fatetur capite quinto veritatem non esse passionem entis, neque in sua sententia, quia est aliquid rationis per modum denominationis extrinsecæ, neque in sententia eorum qui dicunt esse aliquid reale, qui sic non distinguitur a subjecto, dici tamen solet passio entis, quia recipitur cum ente, illudque comitatur. Et ita infert inde duo: alterum est veritatem non esse in rebus, quia conformantur iudicio divino, vel arti creatæ, sed quia causant veritatem in intellectu cognoscente: alterum est, veritatem esse primario in intellectu, secundo et denominative in rebus, quatenus sunt causa iudicii veri, aut signa veritatis, quæ est in intellectu: non autem veritas est in rebus per aliquid intrinsecum, quatenus conformantur ideæ divinæ, ut dicunt aliqui Thomistæ, quia expresses doctor dicit in articulo primo hujus quæstionis quod veritas primario est in intellectu, et inde derivatur ad res, sicut sanitas est primario in animali, et secundo, seu denominative in urina, vel medicina: cum hoc enim stare potest quod intrinsece veritas sit in rebus (sicut sanitas non potest esse intrinsece in medicina) sed secundum denominationem sumptam ab intellectu, sicut etiam falsitas non invenitur in rebus absolute, et intrinsece, sed per ordinem ad intellectum, quatenus scilicet aliqua res nata est causare falsitatem, et deceptionem in intellectu, in se autem non potest esse falsa, quia id quod in se est, vere est. Sicut ergo falsitas dicitur denominative ab intellectu, et non absolute in se, ita et veritas.

SENTENTIA D. THOMÆ.

VIII. Magna complicatio in hac parte orta est ex eo quod confundi-

tur, et non plene distinguitur veritas transcendentalis a formali; et denominatio quæ oritur in rebus a veritate formali, quæ est in intellectu, recipitur pro ipsa veritate transcendentali, quæ est in rebus, cum tamen veritas transcendentalis distingui debeat a formali, quæ est in intellectu, et a denominatione quæ oritur a veritate formali, et denominat extrinsece ipsas res: veritas enim transcendentalis est idem quod veritas fundamentalis respectu veritatis, quæ est in intellectu nostro; et hoc fundamentum invenitur in ipsis rebus intrinsece ante denominationem ortam a veritate formali intellectus, sed tamen nominamus illam nomine veritatis, sicut veritatem formalem, quæ est in intellectu propter penuriam vocabulorum, appellamus autem veritatem transcendentalem designando per ly transcendentalem aliquid quod sit fundamentum veritatis formalis: in his autem quæ dicuntur per analogiam attributionis, licet analogum sit formaliter in uno, et denominative, seu respective in aliis, tamen non repugnat aliquid intrinsecum invenire in istis per quod respiciant illud principale analogatum, et ab eo denominationem accipiant, sicut cibus denominatur sanus a sanitate, quæ est in animali denominatione extrinseca, habet tamen in se intrinsece qualitates sanativas, per quas respicit, et causat sanitatem animalis; unde non est formaliter sanus intrinsece, est tamen intrinsece, et formaliter sanativus. Quod si istam virtutem sanativam nomine sanitatis appellaremus, oporteret dicere quod sanitas causativa esset intrinsece in cibo, sanitas autem formalis, quæ solum est in animali (quia solum in ipso est temperies humorum) est in cibo denominative, et extrinsece. Sic veritas formalis, consistit in expressione, et manifes-

tatione veritatis, solum est in intellectu intrinsece et formaliter, a quo fit denominatio extrinseca in ipsas res. Fundamentum autem, et objectum hujus veritatis, quod etiam dicitur veritas, non quomodocumque, sed transcendentalis, etiam invenitur in rebus intrinsece. Quam doctrinam egregie observavit D. Thomas q. 1 de verit. art. IV, in fine corporis et ad 1, cujus verba statim citabimus.

IX. Hoc supposito, ut mentem D. Thomæ explicemus circa veritatem transcendentalem, duo nobis dicenda sunt. Primum, quod ista veritas in quantum transcendentalis, est aliquid intrinsecum in rebus, et non solum per denominationem extrinsecam a veritate, quæ est in intellectu, id enim currit in veritate formali, quæ est intrinseca in intellectu, et extrinsece denominat res, sicuti de sanitate diximus, et magis tractabitur sequenti articulo. Itaque non potest consistere veritas transcendentalis in sola denominatione extrinseca, ut putavit Vasquez.

X. Secundum est, quod ista veritas transcendentalis sic explicata consistit formaliter in duplici habitudine, altera quam dicit ad intellectum a quo formatur, et in sua proprietate constituitur, si sit veritas creata vel cum quo identificatur, et est unum si sit veritas prima: altera quam dicit ad intellectum quem movet, et in quo causat veram æstimationem sui. Et prima habitudo est præcipua, et magis per se in veritate transcendentali, illique intrinseca, sicut et ipsa entitas rei, et prædicata essentialia, quæ aliquando existunt, aliquando non. Secunda autem habitudo est minus principalis, et consecuta in veritate transcendentali, estque habitudo rationis, qua objectum respicit intellectum quem movet: et secundum priorem habitudinem aliquando dicit D. Thomas

veritatem transcendentalem esse aliquid intrinsecum in rebus: juxta secundam vero habitudinem aliquando dicit verum addere supra ens respectum rationis.

XI. Primum dictum probatur quoad utrumque partem esse D. Thomæ, scilicet quod veritas transcendentalis sit intrinsece in rebus, et tamen quod veritas formalis sit primario in intellectu, et denominatio ab illa resultans solum extrinsece tangat res ipsas. In quo nulla est contradictio in D. Thomæ licet eam inveniri putaverit Vasquez disp. citata LXXVII, cap. II, ut mox videbimus; prius tamen ostendo id esse expressententiam S. Thomæ, nam in quæstione prima de verit. art. IV, ubi distinguit denominationem quam res habent a veritate quæ est in intellectu, ab ea quam habent a forma intrinseca qua dominantur veræ transcendentaliter: « Dominantur, inquit, res veræ a veritate quæ est ab intellectu divino, vel intellectu humano, sicut denominatur cibus sanus a sanitate quæ est in animali, et non sicut a forma inhærente, sed a veritate quæ est in ipsa re, quæ nihil est aliud quam entitas intellectui adæquata, vel intellectum sibi adæquans, sicut a forma inhærente; sicut cibus denominatur sanus a qualitate sua a qua sanus dicitur. » Ubi s. doctor totam nostram sententiam, et primum hoc dictum declarat, scilicet quod veritas entitative, et transcendentaliter sumpta inhærenter, seu intrinsece est in rebus, formaliter autem sumpta pro veritate cognitionis, est solum intrinsece in intellectu; denominative autem, et extrinsece in rebus, sicut sanitas formalis est intrinsece in animali, et extrinsece in medicina, aut cibo, qualitas autem sanativa, quæ etiam sanitas solet appellari, intrinsece est in cibo, aut medicina. Et amplius constabit ex sequenti di-